



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *QUI CUMQUE VITAE SANCTUS MARTINUS DE PORRES*

PATRONUS PRAECIPUUS

PERUVIANORUM ADMINISTRORUM PUBLICAE TUTELAE

DEDITORUM SANITATIS OFFICIO CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quicumque vitae curriculum operaque Sancti Martini de Porres, Peruviana Nationis, vel breviter etiam consideravit, facile is simul deprehendet eundem illum virum non tantum Deum bonorum omnium summum more heroum dilexisse, verum proximos quoque praesertim infirmos sic ut semet ipsum amavisse. Hoc intimis iam pridem animis persentientes ministri Publicae Securitatis curae sanitatis addicti in Peruvia peculiari necnon adsiduo cultu prosequuntur Sanctum illum, quippe qui in aegrotis adiuvandis sustentandisque flagranti eminuerit caritate. Quam ob rem, cum Venerabilis Frater Alcides Mendoza Castro, Archiepiscopus titulo Pederodianensis atque Vicarius Castrensis in Peruvia, ipsorum tutorum Publicae Securitatis in eo genere navitatis elaborantium vota studiosa excipiens probaverit electionem Sancti Martini de Porres in proprium Patronum apud Deum petieritque ut tum electio tum a se facta probatio confirmaretur ad normam Instructionis «De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis» sub numero 30, Nos ipsi futurum certius esse arbitrati ut hac re ministrorum pietas interior erga suae nationis Sanctum eximum crescat atque caritas similiter exterior erga aegrotantes plurimum ex dato exemplo augescat, omnia ac singula quae Sacra Congregatio pro Sacramento et Cultu Divino hoc in negotio egit rata omnino habemus et firma. Comperto igitur electionem ac probationem ad regulam iuris esse peractam, placet Sanctum Martinum de Porres Patronum praecipuum Peruvianorum administratorum publicae tutelae deditorum Sanitatis Officio in Re Publica Peruviae esse semperque deinceps honorari, contrariis quibuslibet haudquaquam obstantibus. Haec autem quae per Litteras Nostras statuimus vim suam volumus exserere effectusque omnes sive in praesens sive in posterum tempus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Aprilis anno Domini MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana